

mati. ¶ Qui officiales cum notario iurare debeant ad sancta Dei evangelia tactis scripturis providere de aquis et de rivis viis et curniglis extrinsecis intrinsecis civitatis et districtus Tergesti, et facere reaptari rivos vias aquas andronas curniglos lignamina lotamina, et occupationes viarum inpedientes euntes, et facere removeri et aptari omnia et singula que ipsis procuratoribus videbuntur utilia in dicto offitio bona fide sine fraude, // et habeant tertium condempnationum factarum occasione suarum acusationum. ¶ Et quelibet persona, cui preceptum fuerit per ipsos officiales ad reaptandum mundandum removendum vel obstruendum, facere teneatur ad terminum sibi datum, pena centum sold. par. pro quolibet contrafatiente et qualibet vice contrafacta; ¹⁾ que precepta scribi debeant per notarium ipsorum officialium, quo aparente fidem fatiat de dicto precepto. ¶ Et si aliquem invenerint intromississe vel devastasse viam comunis, ille eam infra quindecim dies teneatur aptare secundum quod per dictos procuratores fuerit ordinatum, pena centum sold., et nichilominus illam aptare teneatur. ¶ Item ire debeant et teneantur dicti procuratores semel in septimana cum eorum notario sacramento et pena centum ²⁾ ad providendum de stratis et viis publicis, et precipiendi habeant libertatem interius et exterius habentibus possessionem iuxta stratas comunis, de removendo muros aquarios pocalos curniglos et alia inepta, vel de fatiando de novo, prout ipsis officialibus melius videbitur pro utilitate stratarum, et quicumque spernens precepta dictorum officialium cadat ad penam centum sold. par. ¶ Item facere (et) incidere omnes ramos arborum qui stant inepte super stratas.

¹⁾ *contra fatiente.* ²⁾ Manca l'indicazione della moneta; gli Statuti del 1365 hanno *soldorum*.